libenter, quod nos etiam apposuissemus argentum, sed noluimus. Aliqui eorum a suis camisiis discerpebant peciolas et ante idolum suspendebant, sicut facere soliti sunt in locis, ubi aliquid divinum esse opinantur, ut supra patet fol. 29 b. et 33 a. Unde autem stultus ille peciarum cultus ortus sit, dicere possumus, quod sicut quibusdam visum est nihil in mundo dignius, nobilius et Deo acceptius, quam cutis cadaverum, quibus se ipsum Dominus et sua secretissima et totum commendat universum: sic pari ratione vetusti inutiles panni linei et camisiarum peciae dignitate praeferuntur, cum non minora eis commendantur, quam cutibus cadaverun, pergameno etiam et papyro omni, scilicet divina et humana, coelestia et terrestria, aeterna et transitoria, praesentia et futura, visibilia et invisibilia, naturalia et gratuita, credibilia et experimentalia, rationalia et supernaturalia et caetera omnia, bona et mala, prosequenda et vitanda: ideo forte infideles haec diis suis accepta judicant et offerunt. Consequenter processimus usque ad diei vesperam et in loco horrido, quem nominabant Arabes Effkayl, tentoria fiximus (b), cumque nos in loco locassemus, iterum incepimus deficere et egere et aquarum defectum sentire, quod erat nobis supra modum molestum et intolerabile; vix habuimus aquas, ut possemus illo sero coquere jus vel prodium pro offis. Venit nobis in mentem abundantia carnium, anserum et aucarum, quae paene in omnibus domibus est in patria nostra in sero sancti Michaelis, et flagrare coepimus post ollas carnium et post veruta assaturarum et post crates piscium et caldaria pulmentorum. Configit nobis paene sicut filiis Israel in deserto, quando recogitabant Aegypti abundantiam et desiderabant carnes, pisces, cepas, allia et pepones, ut habetur Exodi XVI., et plenius Num. II. Sed desideria nostra erant frustra, non enim habebamus Moysen, qui coturnices de transmarinis partibus nobis afferret, sicut illis, super quos tamen clam ira Dei descendit, Psalm.: Adhuc escae eorum erant in ore eorum et ira Dei descendit super eos etc. Miserum ergo S. Michaelis diem habuimus et noctem inquietam propter cineres et ventos eos elevantes.

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;